

Pastores venerè, boum venerè magistri,
 Venit & upilio; quæ te sic, Daphni, rogantes,
 Quæ miserum torquent curæ? venitque Priapus,
 Cur &, ait, misere tabescis, Daphni? per umbras
 Te nemorum, te per fontes, tua nympha requirit.

Incipe bucolicum, dulcis Musa, incipe carmen.
 Te petit illa: nimis tu cura ægrescis acerba
 Perditus. ante boves servabas, ducere capras
 Nunc bonus heu dicere: hic namque irascitur ardens,
 Quum videt hirsutas hircis subsidere capras
 Mollibus in pratis, quod non caper ipse sit ortus.

Incipe bucolicum, dulcis Musa, incipe carmen.
 Tuque videns passim ridentes suave puellas
 Suspiras, non ipse choro quod mixtus eodem es.

Hæc illi: at pastor nil contra, mœstus acerbo
 Indulgens magis atque magis moriturus amori.

Incipe bucolicum, dulcis Musa, incipe carmen.
 Venit ab Idalio ridens Venus; illa dolosum
 Nescio quid ridens, at corde irata sub alto,
 Atque ait: at certe jactabas nuper amorem
 Cessurum tibi, Daphni: malo nunc cedis amori.

Incipe bucolicum, dulcis Musa, incipe carmen.
 Cui Daphnis graviter suspirans: Cyprî cruenta,
 Cyprî infesta hominum generi, sæva, improba Cyprî,
 Ergo mihi totus sol occidit? ast erit ipsum
 Intra orbem Daphnis dolor & grave crimen amori.

Incipe bucolicum, dulcis Musa, incipe carmen.
 Pastor ubi fertur Cyprin, pete protinus Idam,
 Anchisenque . . . : illic quercus, heic densa cyperus,
 Atque apibus cava dulce sonant alvearia circum.

Incipe bucolicum, dulcis Musa, incipe carmen.
 Pulcher adhuc tibi carus Adonis: pascit & agnas,